1346. primis 7bris. 7a. Ex Cod: Diplom: Dogielij. 

Est origin. in Arch. Regi Sed Erratum in Dogiel quo ad annum, nam in his induciis memoratur Joannes Rex, qui jam superiori mense cesserat in pugna cum Anglis. Ergo potius hic annus 1345 adscribendus.

60

Induciæ inter Joannem Regem Bohemiæ et Carolum Marchionem Moraviæ et Joannem ducem Carinthiæ filios Ejus ab una et Casimirum Poloniæ Regem ab altera parte. Datum in Pyzdry feria tertia proxima ante nativitatem Mariæ Anno 1346. Ex Originali. Sigill. 6.

Nos Conradus de Valambdyn regia majestate serenissimi principis Domini Joannis Regis nec non capitaneus Vratislaviensis nomine suo ac suorum filiorum domini Marchionis Caroli Moraviæ et domini Joannis ducis Carinthiæ notum facimus tenore præsentium universis quod ex jussu et mandato speciali dominorum nostrorum prædictorum Treugas pacis fideles cum excellenti et Magnifico principe domino Casimiro rege Poloniæ regno et terris sibi subjectis, nec non cum præclaro Principe domino Bolkone duce Swidnicensi a data præsentium ad terminum infrascriptum observandum firmiter duximus iniendum contrahendum et faciendum, pro quarum observatione treugarum Honorabiles Viros dominos videlicet Henricum de Berberstein Henricum de Vestenberg Teschonem de Smolcz Lutoldum de Lobel et Pasconem Rannhabe constituimus fidejussores promittentes una cum ipsis bona et sincera nostra fide

insoli:

Pawłowski

insolidum sine dolo quolibet a data presentium usque ad festum beati Martini proxime affuturum et ulterius quousque diu nostra ex parte dictis dominis regi Polonie et duci Swidniensi, vel per ipsos nobis diffidatio nonciata, vel premissa non fuerit. Que quidem treuge post diem hujus diffidationis infra quatuordecem dies continuos inclusive inviolabiles et constantes exutraque parte permaneant ut superius est premissum et insertum intelligi volumus per presentes ea debere firmiter et fideliter observari, nec eas ulla causa vel occasione per nos vel quascunque antepositas personas, que causa nostri quidquam faciunt et admittunt de nostra scientia voluntate vel facto quomodolibet nontenere. Et nos prenominati Henricus de Beberstein, Henricus de Vestenberg Jesco de Smoliez Lutoldus de Lobel et Pasco Rannhabe predicte fidejussioni treugarum bona et spontanea voluntate Nos subijcientes et obligantes promittimus sine omni dolo in solidum bona fide pro omnibus subscriptis civitatibus castris et incolis earundem universis videlicet Vratislaviensi Novoforo Czobotenkazit. Ervas Sejnania Gora Kezin et Lubin etc. observationem predictarum treugarum usque ad terminum suprascriptum fideliter et inviolabiliter observandum. Et si inter nos et loca pre

scripta.

scripta ea eorum inhabitatoribus ab una atque predictum Dominum Regem Poloniae et ducem Swidnicensem et eorum terras et subjectos parte ab altera qui praesentibus sunt inclusi, Treugis aliqua quod absit oriretur dissensio, tunc hunc qui ex nostris esset hujusmodi Dissensionis causa efficiens a die quo proinde moniti fuerimus infra quatuordecem dies continuos in Castro Kalisz debemus statuere ut se de his expurget legitime de quibus fuerit incusatus et si id nollet, nec posset facere, tunc ad restaurationem omnium dampnorum per ipsum factorum Nos domino Regi predicto et duci Swidnicensi astringimur fideliter et constanter. In cujus testimonium sigilla nostra praesentibus sunt appensa. Actum et datum in Pysdry feria tertia proxima ante nativitatem Sanctae Mariae Anno Domini 1346.